



A Zo illustri familia apud Germanos natus, ab
aineunte ætate uirtutibus operam dedit, atq; in uirum clarissimum euasit. Itaq; Cesaris Heinrici
3. castra in Italia sequens, rerum gerendarum dexte-
ritate sibi apud omnes magnam autoritatem com-
parauit. Vnde Heinricus uictor eum ob magnam
corporis & animi fortitudinem marchionē in Ast
creauit, atq; in multis locis dominum cōstituit, cir-
ca annum Christi 1050. Erat eo tempore apud Sue-
uos unica filia Kunigundis, ex illustri familia Guel-
phorum comitum in Altpurg derelicta. eam Azo
sibi matrimonio iunxit, atq; clarissimam sobolem
ex ea procreauit, quorum aliqui postea apud Ger-
manos príncipem locum obtinuerūt. Cum hoc modo Azo magna dexterita-
te suam ditionem gubernasset, tandem moriēs eam Guelphoni filio reliquit,
qui ob uirtutes dux Bauariæ anno 1071. à Heinrico 4. cōstitutus fuit. Ut autem
eius sobolem rectius intelligamus, eandem (pro tenuitate ingenij) ut ex au-
thoribus colligere licebat, subiçere placuit.